

1537 remes ; reliquæ biremes , myoparones , atque alia minora navitia : militum extra ordinem ad decem millia , qui duodecim præfectis , quos *Sangiacos* vocant , parebant , ac quatuor prætorianorum millia (*Fanizzeros* appellant) censebantur . Universæ classi Chariadenus præerat ; penes Luphtibejum , utpote qui Suleimani personam sustineret , illiusque vexillum gestaret , summa consiliorum , ac rerum erat . Cum adhuc incertum esset , in Neapolitanum regnum , an in Venetos terrestris , maritimique belli moles inumberet , quisque suis rebus consulere ; omnes barbarorum motus interiori cura observare ; nec dum certa expedire , aut inire consilia . Auria Genua solvens , Centumcellas prætervectus , cum pontificias triremes adhuc instructas non invenisset , in Mamertinum fretum se contulerat , ut ex Neapoli , Sicilia , atque aliis ex oris triremes , quas præstolabatur , cogeret : cum vero neque viribus , neque numero par ad certamen cum hoste ineundum esset , cum selectis triremibus , reliqua classe relicta , in altum provehi , ac quotquot posset , Turcarum ditionibus incommoda , & damna inferre stait .

*Andrea  
Maria con-  
flium de in-  
commodis  
Turcis di-  
zionibus in-  
ferendis.*

Veneti cum primum classem Turcicam Methonem attigisse , atque Pesareum imperatorem ad Corcyram pervenisse intellexerunt , inter ambiguas belli , & pacis spes , quidnam potissimum decernerent , quidve Pesareo mandarent , non satis expedire poterant : venientine , ut ferebatur , in Adriaticum sinum Charadeno Corcyrae cum tota classe subsisteret ; an anteverso itinere triremes Turcicas a tergo relinquenter . Erant qui anteverendum arbitrabantur , ne Reipublicæ oppida , atque urbes in sinu Adriatico sitæ Turcarum prædæ , ac libidini objicerentur , ac ne triremibus , quæ in Dalmatiæ ora , atque Venetiis parabantur , aditus ad reliquam classem intercluderetur . Alii contra minime tutum , nec e Reipublicæ dignitate fore censebant , Corcyram , Ionii maris insulas , ceteraque Reipublicæ ditiones nimis prono in timorem consilio deserere . Nonnullis media quædam ratio probabatur , nempe ut , divisa classe , sinum Adriaticum Turcis ingredientibus , Pesareus imperator cum Alexandro Contareno legato , ac quadraginta selectis triremibus in Ionio circa Corcyram moraretur ; reliquas ad triginta cum Francisco Paschalico altero